

VIII. *Epistola, in qua ratio redditur Libri nuper editi, cui Titulus, De Arthritide Anomala, sive Interna, Dissertatio. Auctore Guiljamo Musgrave, M. D. Coll. Med. Lond. & Reg. Societ. Socio.*

Viro Clarissimo, *Hans Sloane*, Med. Doct.  
Regiæ Societatis a Secretis, S. P. D. *Guilh. Musgrave.*

**D**E *Arthritidis* in *Primigeniam* & *Symptomaticam* divisione, ad explicandum & tollendum multiformem hunc Affectum utilissimâ ; deque altero divisorum Membro, nimirum [*Arthritide Symptomatica* ;] in *Dissertatione*, annis abhinc aliquot, in lucem edita, disseruimus : Aliam, (Vir Clarissime!) nunc propono, non minus utilem, atque adeo necessariam *Arthritidis* Divisionem, in *Regularem* & *Anomalam*.

Quum *Arthritis* Actio sit Naturæ, in sui defensionem alienum aliquod è Sanguine proturbantis ; ea præcipue *Regularis* est habenda, quâ, ex Naturæ proposito, alienum id, in locum idoneum, modo maxime convenienti, ejiciatur. Hoc autem apte ; hoc ægri summo cum emolumento, longæque amplissimo, fit in *Artubus* ; quos suapte sponte adit *Arthritis* ; quos sæpissime frequentat ; & in quibus, hæc de Causa, sedem ponere judicetur *Regularis*.

Quoties autem *Truncum*, aut aliquam ejus Partem *Organicam*, invadit ea ; quando isthoc ex Naturæ sive imbecillitate, seu frustratione fiat, & in Ægri mortem, aut periculum sæpe desinat ; hæc *Arthritis* appellari potest *Anomala*.

Posita

Posita hac Divisione, quæ tam *Symptomaticæ*, quam *Primigeniæ* est *Arthritidos*, (utraque enim extra normam, & in alieno loco interdum agit) in Dissertatione mox edenda aggredior *Anomalam*; Corporis *Truncum* affligentem, excruciantem: Eoque lubentius aggredior, quoniam, primum, hujusce generis *Arthritides* sunt permultæ, & valde inter se dissimiles: Deinde, magnam partem obscuræ, detectuque difficiles, & identidem periculosæ: Et postremo quia, tametsi Veteribus (*Demetrio* scil. *Paulo Æginetæ*, *Galeno*, & *Aræto*) non incognitæ; à plerisque tamen prætermittæ; à nemine unquam Medicorum, quod sciam, ex industria tractatæ; nedum a quoquam, uti par est, & pro rei dignitate, fuerunt expositæ.

Qua quidem Medicorum, hac in re, incuria factum est; ut, ex iis agrotantibus, qui *Dolore Colico*; qui *Dysenteria*; qui *Asthmate*; qui *Phthisi*; qui *Angina*; qui *Apoplexia*; qui *Paralyse*; aliisque non paucis Affectibus exquisitis, veris, & genuinis perimi censerentur; revera *Arthritide*, sive ejus *Materia*; modo *Ventriculum*; modo *Intestina*; modo *Pulmonem*; modo *Fauces*; modo *Cerebrum*; aliasque *Trunci* *Regiones* occupante, premente, & graviter urgente, perimerentur; non tantum *Morte*, verum etiam *Morbi* *Causa*, propriaque *Medendi* *methodo* incompetatâ, & penitus ignota, infelices.

In tradendis hisce *Anomaliis*, earum *Diagnoses* ex *Symptomatum* *Ordinibus*, sive earum *Historiis*, sunt elicendæ. *Ordines* hi *Symptomatum* *Pathognomonici* in eo concordant, quod ab *Arthritide Regulari* fumant ad unum omnes initium: Quandoquidem, de *Anomala Arthritidos* *ἁπλόξου*, minime constare poterit, nisi de *Arthritide Regulari* præcurrente, prius constiterit: Atque hæc istarum *Διαγνώσεων* est *Parç* *prima*.

Discordant eo, quod eodem loco incipientes diversas omnes capeffant *Vias*: Uti *Radij* ejusdem *Circuli* ab eodem *Puncto* (nempe *Centro*) incipiunt; at, in diversa abeunt,

abeuntes, variis in Peripheria Punctis terminantur. E. g. *Colica, Phthisis, & Apoplexia*, quotiescunque Morbi sunt *Arthritici*, consentiunt in eo, quod *Arthritidi regulari* succrescant, & ex ejus Miasmate fiant, & committantur omnes: At quum Miasma illud nunc ad *Interanea* sit appulsum, ubi *Colicam* facit; nunc ad *Pulmonem*, ubi *Phthisin*; nunc ad *Cerebrum*, ubi Apoplexiam; iccirco hujus *Colicæ, Phthiseos, Apoplexiæ* (id est, harum *Arthritidum Anomalarum*) Diagnoses partim ex *Intestinorum, Pulmonis, Cerebri*, nimirum ex locorum affectorum accidentibus sunt duccendæ: Atque hæc locorum internorum ab *Arthritide* in iis infixæ affectorum, accidentia, Διαγνώσεων harum est quod reliquum.

Canon harum *Anomaliarum* Pathognomonicus, hic est generalis; Quo certior Arthritidos regularis ῥραξίς, & illius *Materiæ, in ea, quæ intus sunt, quo postea certior est Translatio*; eo confidentius *Anomalam, & quidem in parte nuperrime occupata, esse Arthritidem, possimus statuere.*

Ut autem *Arthritis Regularis* in *Provinciâ Exteriori*, sive Artubus; ita, in *Provinciâ Interiori*, sive Trunco, *Anomala* alios alios locos frequentius subintrat; gravius affligit; & profecto tam multos, ut in omni *Trunco*, qui ea prorsus sit immunis, atque ex toto liber, vix reperiat. Ἄριστον, εἰς ὅσον ἔρπει τὸ κακόν.

Causæ harum *Anomalarum* sunt, primum, Miasma *Arthriticum*, diu in Sanguine contentum; jam autem exulans, & Parti in Trunco alicui *Organicæ* commissum: Deinde, *Partis affectæ imbecillitas*, sive nativa, sive casu facta; qua, ad onus suscipiendum, præ ceteris aptum, & proclive reddatur. Atque hæc duæ Causæ sunt *Internæ, & in Anomaliis* hisce universis locum obtinent: Alia est *Externa, & evidens Causa*; omne scil. quod Miasma, vel à τοῖς ἔξωθεν repellens, vel iis affigi prohibens, ad ea, quæ intus sunt, illud intrudat.

Differunt hæc *Anomalie* inter se, *ratione Loci*, sive *sub-jecti*: Est enim alia *Ventriculi*; alia *Pulmonum*; alia *Cerebri*, &c. Tum *ratione Causarum*, quæ nunc remissius, nunc autem fortius agunt; & diversis agendi modis, diversas (*ratione Magnitudinis*) faciant *Anomalias*: Tum postremo *ratione Materie*, quæ pura puta nunc *Arthritica*; nunc autem *Scrofulosa*; nunc *Scorbutica*; vel istiusmodi aliena est.

Medendi Indicatio generalis in eo consistit, ut *Arthritide Anomala* Pars affecta, quam citissime, quam tutissime levetur. Hæc autem fit, Materiam in ea depositam partim è Corpore evocando; partim in Artus, in locum minus nobilem & sedem suam, transferendo.

Evocatur è Corpore Materia interdum *Venaesectione*; sæpe *Purgatione*; nonnunquam *Diaphoresi*; aliis *Epispasticis*; modo *Anacatharsi*; interdum *Errhinis*, &c.

Premissis, qua oportet, Evacuationibus, Curatio reliqua (quæ quidem hujus Dissertationis opus est præcipuum) optime perficitur, per Materie in Artus Translationem: Hæc enim ipsa Naturæ via est.

Ἄ δὲ ἀγερ, οὐκ ἂν μάλιστα πῖπν, ἢ οὐσίτ, ἰαύση ἀγερ, διὰ τῶν συμ-  
περίπν χερσίω. *Quæ ducenda sunt, eo ducenda, quo maxime  
Natura viam affectat, per loca lege Naturæ commota.*

Et quidem huic *Arthritidis* Expulsioni eo potius suo tempore incumbendum; quoniam Materia, quæ, post Evacuationes, in sanguine solet *Arthritica* restare; quæque ceteroqui partem nuper affectam repetat; nullo quidem modo utilis, feliciterve, quam per Articula menta, possit extrudi.

Auxilia *Arthritidi*, ἢ ἰαίς ἐνδον *Anomalæ*, ad τὰ Ἀγέρη re-  
movendæ, & in viam reducendæ apta, sunt tum *Internæ*,  
tum *Externæ*.

*Internæ*, Arthritidem expellentia, sive ποδαρραγυγὰ, sunt  
è Classe Medicamentorum *Cardiaca* magna ex parte selecta;  
ut *Pulvis è Chelis C. C. Theriaca Andromachi*, *Spiritus vola-  
tiles*,

*tiles, Vinum, cum multis istiusmodi aliis* : Quibus addi oportebit è *Ferro Præparata*, tanquam hac in re valentissima : Maxime vero placet *Alcohol Martis, sive Rubigo ejus subtilissima* ; quæ, ut reliqua omnia Præparata viribus æquare, ita quidem mollitie superare, unde Corporibus tenellulis convenire reperitur.

En ejus *Egypti. v.*

R. *Limaturæ Ferri lb. x. Sartagine, vel Patella terrea, vitro obducta, Urina madefac humana ; æstivo sole, vel ad Ignem sicca ; iterumque (Spatula Ferri particulas, ne coalescant, bis in die agitando) irrorata ; donec abeat in Rubiginem Massâ. Exeam, & Rubigine confectam eam, in Mortario ferreo contunde : Insani, & in pulverem redactam, situla, quatuor circiter Congios Aquæ fontanæ continentis, injice. Pulverem cum Liquâ commisce. Horæ post quadrantem, Aquæ, quod summum est, & minus turbidum, leniter detrahe ; & ad pulveris, in ea natantis, siccitatem evapora. Quod in situla relictum est humoris, similiter evaporetur. Pulvis in fundo crassior Urina irroretur, &c. uti prius : Itaque Nutritio, Tritura, perq; Aquam separatio repetatur, donec omne Ferrum in Pollinem mutabitur. Chartæ Emporeticæ, Coni in formam circumvolutæ, Pulveres siccator inde ; Aquam fontanam fervescens, paulatim, & per vices, superaffunde ; donec urinoso sale penitus abluto, exstillabit Aqua inspida. Pulverem denuo exsicca, & usui serva.*

*Ferrum hoc Nutritum est, sive Rubigo ejus subtilissima, merum Alcohol ; non solum Arthritide, verum etiam Chronicis plerisque aliis, ægrotantibus, præcipue teneris & imbecillibus utilissimam. Dosis Ss, semel, bis in die, pro re nata, cum vehiculo idoneo.*

Præter hæc communia, alia sunt *Interna*, quæ *Anomalis* quibusdam singularibus occurrunt, & locis suis traduntur.

Si, ex *Internorum* usu, dies quatuor vel quinque continuato, nihil in Artubus Doloris, nulla *Arthritis* excitabitur; Articulo dolere solito, & sæpissime afflicto, vel quam proxime eum, applicetur *Emplastrum*, aut *Ceratum*, aut *Phœnigmus*; aliudve aliquod Materiam potenter eximens, & Tumorem elevans; cui denique Tumori, Methodo prædicta facta, *Epispasticum*, idque (si videbitur quod appellant *Perpetuum*, dies complusculos duraturum, admoveatur.

Hæc *Anomala*, sive *Internæ Arthritidos* Medicina generalis: Ut autem clarius intellegatur, è multis unam, & alteram *Anomalam*, specialius exponam.

Materia *Arthritica* minime sic, ut par est, è sanguine in Artus emissa; aut ex iis, causa aliqua evidenti & externa, retro acta, nunc *Ventriculum* (sive, ejus imbecillitate, sive reliquiis τῶν δυνάμεων, in eo congestis allecta) intrat. Hinc *Anorexia*, *Nausæa*, *Vomitio*; hinc *Virium* paulatim *imminutio*, *Macies*, & demum post menses aliquot (serius citiusve, pro ægroti robore) Mors. Ut malo tam gravi, nec quidem raro occurratur, è re futurum arbitror (præmissa Catharsi, altera, vel utraque) *ποδπαρυγῶν internis*, hospitio novo, & cuique usurpato, Hostem exturbare, & in Artus pellere: Quam quidem operam, in hac *Anomala*, egregie præstant *Stomachica*, *Cardiaca*, & *Alexeteria* generosissima, frequenti & magna dosi adhibita: Quibus (si bidui, vel tridui spatio minime doleant Articuli) in subsidium veniant *Externa* modo dicta, *Articulis* creberrime dolentibus applicanda: Qua ego Methodo languidos, & marcescentes *Arthriticos*, certe non paucos, summo vitæ discrimine liberatos, sibi restitutos novi.

Simili modo *Pulmonem* aliquando virus infarcit, & corrodit *Arthriticum*; unde *Tussis*, *Sputatio*, *Facies pallor*, *Æstus Corporis Universalis*, *Phthiſeos* scilicet incipit signa: Quam tamen, ne ingravescat, ut prævertas non id tam *Cortice*, *Lacte* & ejusmodi *Frigidis* (sic, ut in *Phthiſi Primigenia*)

*Primigenia*) præstari poss ; quam *Calidioribus* ; *Balsamis* scil. & à *Sulfure* præparatis ; quæ *Arthritida* partim, A catharisi expellant, partim ad τὰ ἄκρα fugent, exploratum est.

Quinetim in *Apoplexia*, quæ dicatur, *Arthritica*, morbo utique tam crebro, quam ancipiti, nihil *Cerebro* prope modum oppresso, secundum Evacuaciones, magis opitulatur ; quam è *Capite* Hostem Phoenigmis, & ejusmodi educentibus, quasi *μοχλικοῖς* in Artus evellere.

*Prophylaxeos* ergo, tum in prædictis, tum aliis quibuscunque hujus generis *Anomaliis*, magni utique momenti est, Materia *Arthritica* ne in Sanguine renovetur ; renovata vero ne ἀναμάλως agat, deligenter curam adhibere.

## Capitum ordo, & Inscriptiones sunt hujusmodi.

- Caput I. **D**E *Arthritide Anomala, generatim.*  
 Caput II. **D**E *Affectibus Ventriculû Arthriticis.*  
 Caput III. *De Colica Arthritica.*  
 Caput IV. *De Diarrhœa Arthritica.*  
 Caput V. *De Dysenteria Arthritica.*  
 Caput VI. *De Abscessu Intestinorum Arthritico.*  
 Caput VII. *De Melancholia Arthritica.*  
 Caput VIII. *De Syncope Arthritica.*  
 Caput IX. *De Calculo Renum Arthritico.*  
 Caput X. *De Asthmate Arthritico.*  
 Caput XI. *De Catarrho, Tussi, & Peripneumonia Arthriticis.*  
 Caput XII. *De Phthisi Arthritica.*  
 Caput XIII. *De Angina Arthritica.*  
 Caput XIV. *De Capitis Dolore, & Vertigine Arthritica.*  
 Caput XV. *De Apoplexia Arthritica.*  
 Caput XVI. *De Paralyse Arthritica.*

Caput XVII. *De Doloribus in Corpore vagis, fixis; de Ophthalmia; de Erysipelate; & Achoribus Arthriticis.*

Caput XVIII. *De Epiphora, & Dolore Dentium Arthritico.*

Caput XIX. *Corollaria continet, cum Epilogo.*

Hæc sunt (Vir Clarissime!) Quæ de *Interna Arthritide*, Affectu non novo, sed cum magno humani generis incommodo à nostris Hominibus neglecto, lucubravi; & quidem, quantum in me est, ad *Hippocratis* mentem: Ita enim Ille,

Καὶ πῶτο ἐν εἰδέναι χρεῖ, εἴτε Ἀέλαι ἢ Νέσθ, εἴτε Μεσαπίτην ἐς ἐτέραν Νέσον.

Vale, *Vir Doctissime!* Et *Societatem* summam, qua decet, *Observantia* meo *Nomine* saluta.

Iscæ Damnoniorum, 3 Idus Aprilis, MDCCVII.

---

IX. *An Account of a Book, intituled, The Whole Art of Husbandry. By J. M. Esq; F. R. S.*

**T**HIS Book gives an Account of the several Ways and Methods about the Inclosing of Land.

The way of ordering and improving of all sorts of Pasture and Meadow Land, and of the overflowing and draining Marsh and Boggy Lands, &c.

The way of making of Hay, and the Management of Clover, *St. Foin*, and other *French Grasses*.

The ordering of all sorts of Arable Lands for all sorts of Grains; the making of several sorts of Ploughs, and the different